



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput XIX. Quanta sit Apostolicorum Canonum auctoritas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

Romana, de Religiosis Domibus in Extrav. Joan. XXII. aut Cap. Vas electionis, de Hæreticis in Extrav. Comm. Singulorum Canonum definitiones sufficienter explicat Decretum Abbreviatum, quod

soluta oratione, & carmine præmittitur Corpori Juris Canonici in editione Coloniae Munatiana, id est, Lugduni, cui hoc nomen à L. Munatio Planco, lectu dignum, & quambrevissimum.

CAPUT XIX.

Quanta sit Apostolicorum Canonum auctoritas.

SUMMARIUM.

1. De Apostolicis Canonibus Propositio 1.
2. 3. & 4. Propositio 2. Probatur.

5. Quinquaginta Canones Apostolici affirmantur.

De Apostolicis Canonibus.

DECRETUM Gratiani, & Conciliorum voluminibus addi solent Canones, qui dicuntur Apostolici: de quorum antiquitate ac origine non idem est Scriptorum judicium. Auctoritate Apostolica conditos, & antiqua traditione ad nos derivatos scribunt Severinus Binius, Franciscus Turrianus, Lambertus Gruterus, Lindanus, alique plures; quorum sententia est fuisse per Clementem in unum congestos. Nonnisi vergente ad finem quinto Christiani nominis sæculo editos arbitratur Dallæus, cui videtur accedere in Vinciticiis Epistolarum Ignatii Joannes Pearsonius. Neque digestos ætate Apostolorum; neque tam sero fabricatos, sed editos secundo, aut saltem tertio sæculo ineunte sentiunt Marca, Albaspinæus, & etiam Beveregius, Hammondus, Blondellus; Josephus Scaliger. Plura de his legi possunt apud Antonium Pagium ad an. 100. n. ix. & seqq. Natalium Alexandrum dissert. xvii. l. sæculi, Schelestratium 2. p. Antiqu. Illustr. & laudatum Beveregium in altero Tomo PP. Apostolicorum Coteleirii. Nos autem nonnulla, quæ ad hanc solvendam quæstionem videntur idonea, subjectis thesibus proferemus.

1. PROPOSITIO I. Canonum Apostolicorum certus numerus definiri non potest.

Probatur I. Quoniam recepti olim ab Orientalibus, & quos habemus ex interpretatione Gratiani Herveti, sunt numero LXXXIV. & qui obtinuerunt apud Occidentales numero tantum L. Inter istos autem quinquaginta est canon valde ambiguus XLV. de Baptismo Hæreticorum; quem, si anno CCLVI. notus fuisset PP. Occidentalibus, profecto Firmilianus in Epistola ad Cyprianum hoc anno adversus Stephanum scripta, aut Rebaptizantium aliquis laudasset. Est enim ille Canon, *Episcopum, aut presbyterum, qui hæreticorum bapti-*

smum, vel sacrificium admittit, deponi jubemus. Quæ est enim conventio Christi cum Belial? vel quæ est pars fidelis cum infideli? Videtur ergo iste Canon à Rebaptizantibus Iconii, aut Synadis congestus, ut Baluzius, & Pagius adverterunt, quo consuetudinem à Stephano laudatam aliquo præsidio repudiarent. II. Cap. Sexaginta, d. xvi. numerantur canones Apostolici 60. ex Epist. 1. Zephyrini, in cujus tamen textu habetur numerus LXX. Quinquaginta autem numerantur seq. Cap. Clementis. At proximo Cap. Placuit, dicuntur confirmata & rata cap. 2. vi. Synodi Canonum Apostolorum LXXXV. Capitula. Verum Sextam Synodum nullos edidisse canones, constat ex Act. 4. & 5. secundæ Nicænæ, inquit Binius Tom. 1. pag. 53. Collect. Labbeanæ. III. Et si non omnes Canones, qui extant in Collectione LXXXIV. Herveti, plures tamen per antiquos esse, etiam præter L. communiter receptos, Eruditi omnes fatentur, & constabit ex subjecta assertionem; cum prima ad hunc modum se habeat.

PROPOSITIO II. Canones Apostolici etiam primis Ecclesiæ sæculis ob-
tinuerunt.

Probatur I. Ex Nicænâ Synodo celebrata anno CCCXXV. Hæc enim Canone 1. de Eunuchis præscribit, quod si aliqui à Dominis vel barbaris castrati sunt, inveniuntur autem alioquin digni, à Clericorum statu non excludantur, *Tales quippe (inquit) admittit Canon.* Qualem vero Canonem putas, nisi XXI. Apostolicum prohibentem ne Clericus efficiatur de Eunuchis ille tantum, qui amputaverit sibi ipsi virilia? Definuit etiam 2. ejusdem Synodi Canone, nestatim nuper baptizati ad Episcopatum, vel Presbyteratum promoveantur, *contra Ecclesiæ Canonem.* At hunc Canonem quis ignorat esse inter Apostolicos LXXIX? Quin-

Quinto insuper canone sancitur, qui ab aliis ejecti sunt, ab aliis non esse admittendos, *juxta veterem Canonem*. Hunc canonem adinvenies inter Apostolicos n. xxxiii. Decimo Nicæno canone citatur *Canon Ecclesiasticus*: atque hunc non alium esse, quam lxi. Apostolicum, eruditi viri observarunt. Synodum ergo Nicænam Apostolici utique Canones præcessere. Adde in hujus argumenti confirmationem, Constantinum in Epistola ad Eusebium & Antiochenos Episcopos citare Canonem Apostolicum xlii. unde constat, inquit Pagius n. x. hos canones ante Synodum Nicænam fuisse cognitos.

3. Deinde probatur ex Synodo Antiochena celebrata anno CCCXLI. Editi in ea Canones xxv. quos cum Apostolicis convenire, liquet ex illorum collatione Tom. 2. PP. Apost. Cotelerii pag. 17. Appendicis. Me non latet, Cl. nostrum Lupum in Notis ad can. 26. Chalcedonensem ambigere, num canon Apostolicus xlii. de rebus Ecclesiæ per Episcopum, vel Oeconomum ejus curandis sit revera Apostolicus, cum lucida mixtura appareat compositus ex 26. Chalcedonensi, & duobus ultimis Antiochenis. Tanti quidem viri judicium comprobatur canonum ipsorum collatio. At neque id hanc prostermit & labefactat positionem, quoniam stat adhuc canonem illum xlii. tametsi ex Antiochenis dicatur confarcinatus, perantiquum esse; idque Lupus ipse fatetur: & reponi potest non ex Antiochenis Apostolicos, sed ex Apostolicis Antiochenos esse conflatos. Enimvero qui singulorum concordantiam perpendunt, vident Apostolicos non tam esse perspicuos & amplos, licet floridæ phraseos priscis sæculis congruentis: ampliores autem esse Antiochenos, ac talis structura, ex qua facile conjicias istos illorum esse rivulos potius, quam fontes.

4. Tertio probatur Assertio Patrum auctoritate, Athanasii, qui Nicænæ Synodo interfuit, & Basilii Cæsareæ in Cappadocia Antistitis jam ab anno 370. Nam Athanasius in Epistola ad Orthodoxos differens adversus Gregorium Cappadocem jussu Præfecti Aegyptiorum intrusum in sedem Alexandrinam, ait: *Non enim nunc dierum Canones & typi Ecclesiis dati sunt, sed à Patribus nostris pulchre firmiterque traditi fuerunt*. De consimili autem controversia nullum invenies canonem Athanasii ætate priorem, nisi sit ille Apostolicorum

lxxiii. Item in Apologia de fuga sua conqueritur velle Arsenium se Ecclesiastico Canoni juxta vetus institutum subijci, aperte verba faciens de Apostolico Canone iv. aut xxx. Basilius vero in Epistola ad Amphilochem laudat antiquum canonem, quo deponendus declaratur Diaconus fornicationis convictus: quem porro canonem liquido constat esse Apostolicorum xxv. in Collectione Dionysii, xxiv. in Hermetiana. Adverte nos minime asserere omnes omnino Canones Apostolicos, qui numerantur lxxxiv. vetustos esse & receptos ante exactum sæculum tertium; sed eos tanquam ex Apostolica traditione, aut ex doctrina Apostolorum credimus derivatos, qui cum Ecclesiæ Romanæ inviolata fide per omnia consentiunt. Quare non sunt singuli indiscriminatim firmissimi, sed exploduntur aliqui, præsertim lxxv. de depositione Clerici, si jejuset die Dominico, vel sabbato, & lxxxiv. de Canone Scripturarum.

Ex Apostolicis fontibus fluxisse l. à Dionysio translato certissime tenent quamplurimi cum Baronio ad Annum CII. num. xii. De his habetur decretum Stephani Papæ IV. in Synodo Lateranensi celebrata contra Iconomachos anno 769. Act. iv. *Non amplius suscipiantur Apostolorum canonum prolata per sanctum Clementem, nisi quinquaginta capita, quæ suscipit sancta Dei Catholica Romana Ecclesia*. Hos ergo & nos recipiamus oportet, sed istos, aliosque juxta approbationem, ac sensum Apostolicæ Sedis. Neque repugnat decretum Gelasii cap. *Sancta Romana* dist. xv. ubi legitur: *Liber Canonum Apostolorum Apocryphus*. Primo quia Gelasius loquitur de libro Canonum lxxxiv. non de l. Capitulis, ut scribit Binius, & probatur ex Humberto legato Leonis IX. adversus Nicetam, scribente, *Clementis librum, id est, Petri Apostoli itinerarium, & Apostolorum Canones numerant PP. inter Apocryphos, exceptis l. Capitulis, quæ decreverunt Orthodoxæ fidei adjungenda*. Extat Leonis nomine cap. 3. dist. xv. Deinde, quia verba Gelasii sunt commodo sensu accipienda, quasi liber Apocryphus dicatur qui hos continet canones, eoquod immerito Apostolorum nomen præferebat, & videatur secundo, aut tertio Ecclesiæ sæculo conscriptus, ut nunc tenet sententia eruditorum communior.

5. Quinquaginta Canones Apostolici affirmantur.